



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imagines Mortis

Corrozet, Gilles

Coloniae, 1557

VD16 C 5284

Oratio Ad Christum, In Gravi Morbo Dicenda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34296

ad
ue.
us
at,
n-
o-
ri-
qui
er,
o-
di-
•

ORATIO AD CHRI-
STVM, IN GRAVI MOR-
BO DICENDA.

DOMINE Iesu, vnica salus vi-
uentium, æterna vita morien-
tium, tuæ sanctissimæ volunta-
ti me totum submitto tradoq;;,
sive hanc animulam in huius corpusculi
domicilio diutiùs commorari placeat ad
tibi seruiendum, sive ex hoc seculo demis-
grare velis, certus, non posse perire quod
tuæ misericordiæ commissum est, carnem
hanc fragilem ac miseram æquo deponam
animo, videlicet spe resurrectionis, quæ
mihi illam reddet multò feliciorem. Ani-
mam quæso ut aduersus omnia tentamen-
ta, tua gratia corrobores: contraq; omnes
satanæ assultus cinge me scuto tuæ miseri-
cordiæ, qua olim martyres tuos aduersus
horrendos cruciatus ac mortes crudelissi-
mas inuictos reddidisti. Video q; nihil in
me mihi sit præsidij, in tua inenarrabili bo-
nitate tota est fiducia. Nihil habeo merito-
rū aut bonorū operū, quod allegem apud
te, malorum heu nimis multum video, sed
per tuam iustitiam confido me in numero
iusto-

O R A T I O

iustorum censendum. Tu mihi natus es,
mihi sitisti, mihi esuristi, mihi docuisti, mi-
hi orasti, mihi iejunasti, mihi tatum bono-
rum operu in hac vita peregisti, mihi tam
acerba passus es, mihi in cruce pretiosam
animam tuam in mortem tradidisti. Pro-
fint mihi nunc, quæ sponte donasti, qui te
totum mihi donasti. Tuus sanguis abluat
maculas criminum meorum, tua iustitia
tegat iniustitiam meam. Tua merita me si
premo iudici commendent. In grauescen-
te malo adauge gratiam tuam, ne vacillet
in me fides, ne titubet spes, ne refrigescat
charitas, ne terrore mortis deiciatur hu-
mana infirmitas, sed postea quam mors oc-
cuparit oculos corporis, mentis tamen a
te non deflectantur, quumque linguæ vsum
ademerit, cor tamen instanter ad te cla-
met: In manus tuas Domine comen-
do spiritum meum, cui honos
& gloria sine fine.

Amen.

D. IO-